Cardinalitia Quæstio agitanda In Scholis Medicorum die Jovis 26a Februarii. M. Joanne Huguet Moderatore.

An Ictericorum omnium eadem Curatio?

Hepar cordis cerebrique antiquius, naturæ focus, solaque humorum officina omnium; attractum per mesenterii venas chylum in sanguinem quatuor humorum complexum vi sua commutat, qui trinis his partibus nutriendis non futurus est idoneus, nisi prius ab excrementis hæmatosim necessario comitantibus fuerit repurgatus, cui immunda comparata sunt organa, suis quæque facultatibus villorum operâ vertentibus prædita, renes quidem ad serum, lien ad succum melancholicum, vesicula ad flavam bilem segregandam: pituita coctionis quam evacuationis magis indiget, quæ si qualia, quanta, et quando oportet evacuentur, corpus quasi sentina liberant, et ad functiones a temperamento manantes reddunt aptas; sin vero suo vel partium vitio coerceantur, trium facultatum vim in corde, hepate conspirantium œconomiam perturbant, variosque in corpore affectus suscitant.

Ex tribus autem secundæ coctionis excrementis, flava bilis quæ alioqui non est corpori inutilis si copia vel qualitate peccet, pro vario situ et partium conditione, varios producit affectus: si enim in venam decumbat partem, erysipela (herpetes), si in cerebrum feratur phrenitidem: si in venis putrescat febrem ardentem (quæ superveniente rigore solvitur) solet producere: non aliter atra bilis scirrhos lienis maxime familiares, aut cancros curatu difficiles, in cerebro melancholiam quæ in epilepsiam degenerat, toto corpore contagiosam elephantiasim, aut febrem quartanam omnium longissimam, sed tamen securissimam, utrumque vero humorem in corpus universum citra putredinem effusum cutemque ipsam, sed magis oculos (qui et valetudinem ipsam et totum corpus) inficientem icterus consequitur.

Icterus utcunque totius corporis, aut hepatis vitio provenire potest: lienis autem niger sæpius: flavus nunquam. Hujus causa (si nulla adsit prævia sordescentis, aut vesiculas attrahentis imbecillitas), sæpe est obstructio utriusque meatus choledochi a crasso et lento humore: unde aliquando cum hydropem sæpissime inducunt sola intemperies phlogosis hepatis calidioris bilem copiosiorem generantis, aliquando phlegmone icterum parit, sicut æstas fervida, alimenta præcalida, vigiliæ, motus animi et corporis immodicus, pharmaca deleteria, morsus venenati. Natura quoque in acutis noxium humorem propellente, salutaris icterus contingit, nunquam tamen ante diem septimum, lienis autem imbecillitas vel obstructio, vena cum humoris melancholici copia cutem livore perfundit.

Præter colorem cutem humoris peccantis indicem, consequitur totius corporis pigrities, pruritus, sudor nullus, sensuum mentisque hebetudo cum variis imaginibus. Verum icterus calidam hepatis intemperiem detegunt dejectiones et urinæ biliosæ, sitis, anorexia, flatuum paucitas: cui si phlegmone juncta sit, febris acuta (ut in scirrho lenta) hypocondrii tensio, gravitas, dolor, sicca tussis, biliosus vomitus, singultus ab inanitione desperatus fatigat. In obstructione cutis repente fœdatur, febris nulla, dejectiones albidæ ut in phrenitide, et induratæ, nigrum, metus et mœstitia melancholiæ signa pathognomonica, cum lienis sæpe affectibus comitantur. Criticus si subito repente accidit, die critico præcedentibus signis coctionis, quæ certæ salutis est nuntia, morbusque solvitur.

Curatio omnis ab efficientis causæ remotione inchoanda, qua nimirum persistente, affectus tolli nequit, quare phlogosis refrigerantibus medicamentis intus et foris propulsatur. Phlegmone quam citissime occurrendum venis sectione κατ' ἴξιν facta, lenis cholagogis, repellentibus initio, deinde digerentibus, quæ si abscessum moliatur funesta. Scirrhus vero emollientibus, mixtis tamen præsertim adstringentibus. Obstructio catharticis liberanda, prius tamen fluxili reddito corpore aperientibus et detergentibus. Minus ad eam conferunt sanguinis missiones, venena alexitereis oppugnanda. Nigri autem icteri remedium peti a melanagogis, ita lieni, si affectus est, consolatur. In critico vero etiam cum sedet in habitu corporis insidet tantum, victus ratio plane vegeta, frigida humida, febricitantibus cibus utilia instituenda. Tum balnea dulcium aquarum, frictiones, diaphoretica, et epithymia multum conferunt, quæ remedia ab externa fœditate ictericum vindicant.

Ergo omnium Ictericorum non est eadem Curatio.

Deffendebat Lutetiæ M. Claudius Cellier Lingonensis A. M.D.LXXIII.

BIBLIOTHÈQUE